



**C**onradus apud Belgas natus & educatus est. Is cum felici ingenio frueretur, animum ad literarum studia conuertit, & earum fundamenta feliciter iecit. Inde Vuitebergam se contulit, & in bonis artibus & linguis ingeniū egregie exercuit. Postea quoq; Iurisprudentiæ operam dedit, idq; tanto successu, ut omnium acclamatione Legum Doctor creatus fuerit. Accedebat & rerum usus, & naturalis quædam facundia. Itaq; factum ut ad Camere Imperij iudicium uocatus, & inter eius ordinis amplissimos assessores receptus fuerit. In eo loco cum aliquandiu magna laude uixisset, illustris. Cliuensis dux eum ad se uocauit, & inter consiliarios

recēsuit. Colonie quoq; Conradus aliquandiu uixit, & suis uirtutibus magnū nomen comparauit. Hoc modo contigit, ut is ob multas easq; præclaras functiones optimè administratas, etiamnum apud Belgas in magna authoritate existat. Anon.